



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-745196-p0001-0

DFG



5743.

DISPUTATIO CIRCULARIS

PANDECTAS SECUNDA,
ad

Continens breviter

1671 26

MATERIAS

RESCRIPTORUM,
CONSUETUDINIS
AC STYLI.

QUAM
SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI,
EXCELLENTISSIMIQUE

DN. JOH. WOLFGANGI
TEXTORIS,

JCti, & in Universitate Altdorffinâ Pande&t. P.P. longè Cele-
berrimi, nec non Illustris Reipubl. Noribergensis
Consiliarii Gravissimi,

Domini Doctoris, atq; Patroni sui etatèm
devenerandi.

Ad diem X. Maji horis locoq; consuetis

ANNO M. DC. LXXI.

Defendendam suscipiet

JOHANNES THOMAS OTTO
ab & in MAUDEROODE, Eq. BRAND.



ALTDORFFI

Typis HENRICI MEYERI, Univ. Typogr.





I. N. D. N. J. C.

THESIS I.

Diximus superiori Disputatione inter cæteras juris nostri materias etiam de Constitutionibus Principum, verū quoniam Principes variè consti-
tuunt, aut rescribendo ad judicū vel partium consultationes, aut aliis modis, de quibus in L. 1. §. 1. ff. de Constit. Princ. Hinc non immeritò de Rescriptis Principali-
bus in frontispicio hujus disputationis agimus, eo exemplo quod & in jure Canonico titulus iste de Rescriptis Titulo de consuetudine sit præmissus.

II.

Est itaque rescriptum nihil aliud, quam Principis respon-
sio de Jure ad consultationem Judicū vel partium scri-
ptis expressā: ad cuius formam requiritur, ut Principis no-
men præmittatur, isque nec non Quæstor, quem hodiè
Cancellarium vocamus, subscribat, l. 3. C. de Div. rescript.
Nov. 114. Ibiique Cujacius, Matth. Steph. Rittersh. & alii.

III.

Materia objectiva consistit regulariter in negotiis juri,
publicæ utilitati, vel tertio non præjudicantibus l. 7. C. de
prec. Imp. offer. l. fin. C. de Div. Rescript. Causa efficiens est
Principis resribentis voluntas, finis verò emergentium de
jure dubitationum decisio, ut per se patet.

IV.

Rescriptorum tres afferuntur species: Annotatio sive
subnotatio, cum Imperator breviter libello supplici resolu-
tio-

[§:] o [§:]

tionem adjecit, & Cæsareum nomen subscripsit; Epistola, cum integrum ipse ad judices vel Magistratus Imperii prescrispsit resolutionem, quæ hinc dicta est Epistola, quales plures extant in jure nostro ad Præfectos Prætorio, aliosve Magistratus passim emissæ. Pragmatica etiam Sanctio, cum corpori, civitati, vel collegio Princeps perpensiore iudicio rescrispsit. *Vide Peretzium in Comment. C. ad tit. de Div. Rescript. n. 1.* Verum si textum *l. fin. in princ. eod. conferamus*, Epistola non videtur esse tertia species.

V.

Quin etiam diversæ Rescriptorum species hodiè non ita frequentantur, nisi quod hodienum præter Imperatorem Vice-Cancellarius Imperii Cæsareis Rescriptis soleat subscribe-re, unà cum quodam Secretario, quod & in aliis Principum Aulis Cancellariorum officiis incumbere solet, non tamen vel partium supplicantum libellis in Aula Cæsaris prisco modo annotationes subjunguntur, vel alioquin ad supplicantes rescripta dirigi solent, sed potius ad Commissarios vel etiam ad partem adversam, contra quam fuere impetrata.

VI.

Sunt porrò rescripta vel gratiæ vel justitiæ, quorum illa gratiam h.e. beneficium, aliquod privilegium, vel dispensationem continent, & in Præbendis cæterisque beneficiis à die datæ sive impetratae Epistolæ valent, adeò ut in concursu duorum is beneficium obtineat, non qui prior præsentavit literas, pro consequendo eo, sed qui prior impetravit. *c. 7. de Præb. in 6to.* Modo tamen eundem dolus vel insignis negligentia non excludat *c. Tibi sub fin. de Rescriptis in 6to.* Hæc verò scil. justitiæ Rescripta, justitiæ administrationem concernunt, sive respectu præparatio-nis, ut prima rescripta commissionalia sive ratione ordinis procedendi, decisionis causarum, vel executionis.

VII.

Cæterum de Jure Civili Rescriptis inseri debuit clausula, si preces veritate nituntur, d. l. fin. quæ clausula Jure Canonico subintelligitur, ut est textus in c. 2. extra. de Rescript. Faciunt itaque Rescripta jus inter partes, sed salvâ veritate facti, & idcirco non æquivalent sententiis, arg. l. 14. ff. de re judic. Hinc si rescriptum contineat causæ decisionem quoad factum, censetur ipso jure nullum, ut consuluit Romanus Conf. 330. n. 4. & tradidit Jason. in L. 6. circa fin. C. si contra jus vel util. publ. Secus tamen est ex speciali ratione in rescriptis commissionum cum voto, quatenus cognitis hinc inde actitatis in Aulâ Cæsareâ decernuntur.

LIX.

Hinc licitum est adversus rescripta & mandata Principum exceptiones sub- & obreptionis, quibus vel veritas celata, vel mendacium commissum redarguitur, item exceptiones Banni, maleficii, privationis, opponere arg. Recessus Imperii de anno 1594. §. Denn auch im driften exindeque etiam, mandata Imperialia cassari solent arg. d. l. 14. ff. de re judic. Præcipue si vel sub- & obreptio dolosè contigerit, vel circa cardinem Principalem negotii, ut est text. in c. super literis 20. & de rescript. jung. l. 5. C. si contra jus vel util. publ.

IX.

Fallit tamen hoc ipsum, si rescriptum insertam habet clausulam, motus proprii vel ex certâ scientiâ, quod scilicet Princeps propriô motu & rei conscius sic rescripserit, non ad supplicantum instantiam, tunc enim præsumtionem pro se habet, quod vitio sub- & obreptionis non laborebat c. si motu 23. de Præb. in 6to Gramm. decis 65. n. 80. & decis 103. n. 242. Plus attribuendum clausulæ de plenitudine potestatis, quam volunt etiam in præjudicium tertii rescriptum firmare juxta trad. Bald. in L. f. col. 2. C. sent. rescind. non posse & Paul.

Paul. de Castro in L. quoties C. de prec. Imp. off. jung. Alex. Imol. vol. 5. conf. 15. col. 2. Tiber. Decian. vol. 2. conf. 41. n. 18. Sed hoc parcè nec nisi concurrentibus prægnantissimis causis accipiendum arbitror, arg. §. fin. sub fin. Inst. quibus mod. test. infirm. & L. 35. pr. C. de inoff. test. adeò, ut rescriptum Principis falsâ causâ subnixum non præjudicet tertio, licet emanaverit sub formula de plenitudine potestatis, ut præclarè respondit Bero. vol. 3. conf. 146. n. 34.

X.

Consuetudo est ius, moribus, actacito populi consensu introductum; ejus requisita sunt, 1. ut sit rationabilis, 2. ut nitatur actuum frequentia & 3. temporis diuturnitate, can. consuetudo dist. 1. cap. fin. x^o de consuet. l. 32. ff. d. LL. l. 1. L. 2. C. quæ sit long. consuet. Quæ duo posteriora requisita, quoniam expressè in jure decisa non sunt, hoc scil. sensu, quot & quales præcisè actus vel quantum tempus ad consuetudinem requiratur, non immeritò judicis arbitriò relinqui possunt arg. l. 1. §. 2. ff. de jure delib. si quis verò consuetudinum irrationalium desideret exempla, eum remittimus ad cap. quan- do c. cum venerabilis c. ex parte c. fin. x^o de consuet. nec non ad R. J. de anno 1559. §. Und nachdem an eslichen / item ad Ord. Crim. Carol. V. art. 218.

XI.

Consuetudinum alia est universalis, quæ ubique terrarum Imperii obtinet, veluti, quod in criminalibus appellare non liceat R. J. de anno 1530. §. item als jeßt quo numero etiam haberi debent consuetudines feudales communes arg. text. der Reichs-Hofräths-Ordnung tit. 5. von Relation der Aeten/ s. Wann denn sub fin. alia particularis, quæ in certâ aliquâ provinciâ, territorio, civitate, vel etiam collegio certo obtinet, unde appetet consuetudinem particularem habere

(3) varios

varios gradus, secundum quos aut magis aut minus particularis censeri possit, conf. l. 3. C. quæ sit long. consuet.

XII.

Consuetudo substantiam suam non amittit nec desinit esse consuetudo, si in scripturam redigatur, ut iterum reçè docemur exemplo consuetudinum feudalium arg. 2. Feud. 1. jung. text. in l. 8. ff. de his quæ sunt vel al. jur. & l. 2. ff. de vulg. & public. subst. ubi jura patriæ potestatis & substitutionis pupillaris, consuetudini adscribuntur, quamvis ea ipsa consuetudo literis fuerit expressa,

XIII.

Qu. An ad consuetudinem particularem præter supra dicta requiratur etiam superioris scientia & consensus? Negandum hoc videtur per cap. 1. de const. in 6. & ita post alios sentit Zöesius in Comment. ff. ad mater. de longâ consuet. n. 18. Verum rectius videtur, non quidem positivam scientiam superioris exigiri in introducendâ consuetudine, sed saltem præsumtam ex tolerantia actuum, quò pertinet 1. quod statutum & consuetudo particularis ab effectu æquiparentur. E. ut ad statutum superioris scientia & consensus requiritur, sic etiam ad consuetudinem, deinde ad idem quoque est bonus t. x. in c. 9. X. Consuet. ubi capitulum sine consensu Episcopi nec statuta nec consuetudines introducere potest, nec obstat d. c. 1. quia loquitur de consuetudine jam introducta, de quâ in textu non negatur, quòd tempore introductionis superior habuerit scientiam vel veram vel saltem præsumtam ex tolerantia actuum.

XIV.

Cæterum consuetudo in effectu æquivalet legi per t. x. d. l. 32. ff. de LL. cui non obstat L. 2. C. quæ sit long. consuet. quod si ab adversario negetur, per allegantem probari debet, maximè si sit particularis vel obscura, arg. d. c. 5. junct. l. 5. ff. de probat.

SS:] o [SS]
probat. & R. H. D. Ferd. III. alleg. loc. ita etiam quatenus juri
adversatur, strictè est intelligenda, ergo cum expediat de Elect.
in 6. & l. 39. ff. de LL. quamvis aliás jus scriptum à consuetu-
dine interpretationem sumat, si de eo dubitetur l. 37. ff. de LL.

XV.

Hæc ita obtinent, si consuetudo bene sit firmata, ast si
modò sic modò aliter observatum fuit, ex consuetudine tali
non poterit desumi fundatum in decidendis causis per
L. 34. vers. quid ergò ff. de R. J.

XVI.

Stylus non differt essentialiter à consuetudine, sed est
reverà consuetudo curiæ vel judicij non contradicente supe-
riore ad quem curia spectat, introducta; habet autem sine
dubio vim legis, per L. 38. ff. de LL. & R. J. de anno 1570. S.
Wiewol auch.

XVII.

Hinc colligimus sententiam Rotæ Romanæ apud Mer-
linum decis 553. n. 4. quod scil. stylus unico actu contrario in-
firmetur, omnino declaratione indigere; nam si loquimur
de stylo, quatenus est adhuc in statu introductionis, tunc
ista assertio potest admitti per rationem d. l. 38. ponderando
verba textus ibi rerum perpetuo similiter judicatarum ubi uni-
formitas actuum ad stylum requiritur.

XIX.

Ast verò quando quæstio est de stylo jam legitimè intro-
ducto, negamus quod unicus actus eundem infringere pos-
sit & argumento quidem satis convincenti, quoniam stylus
legitimè introductus habet vim legis per alleg. tax. sicuti er-
go actus gestus contra legem non infringit legem, sed ipse
potius est nullius monenti l. 5. C. de LL. ita quoque idem as-
serendum est de stylo per multos annos citra contradic-
tionem legitimam introducto, aliás certè sequeretur imme-
moria.

moris temporis stylum & observantiam uno fortè non
sat perpenso præjudicio in contrarium infringi posse , id
quod absurdum est per L. 2. ff. de Const. princ.

XIX.

Colligimus 2. falsum esse quod sensit Petrus de Bella Pertica, quem refert Petr. Ravenna str. de consuet. sect. 3. n. 50. quod scil. stylus à solo introducatur judice , præterquam enim quod etiam in extrajudicialibus negotiis stylus versari potest ut appareat ex c. quam gravi 6. extra de crim. fals. certè totius curiæ vel judicii est stylum introducere , arg. d. R. J. de anno 1570. §. Wievol auch ubi dicitur Gerichts-Stylus.

XX.

Concludimus 3. Bartoli quoque sententiam in d. l. 32. ff. de LL. ubi stylum restringit ad ordinem tantum scribendi ac procedendi , non esse usquequa veram , quandoquidem stylus, quām maximē etiam in decidendo attenditur non tantum ex dispositione d. l. 38. sed etiam ex R. J. de anno 1570. §. Derohalben aus rāthlichen/ubi stylus tām in decisionibus causarum , quām in decernendis processibus in Camera Imperiali observari præcipitur , nec obstat l. 13. C. de sent. quoniam loquitur de exemplis, quæ nondum transierunt ex in veterato usu in necessitatem juris; sed de materiis nostris hæc breviter dicta sunt.

F I N I S.



Altendorf, Diss., 1670-71

X 242 1345

ULB Halle
006 650 694

3



V317



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-745196-p0012-1

DFG

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



SIR CIRCULARIS
SECUNDA, 1671 267
eviter
RIAS
CORUM,
TUDINIS
YLI.

U
SIDIO
I
NSULTISSIMI,
SIMIQUE

WOLFGANGI
DORIS,


nâ Pande&t. P.P. longe Cele-
cipubl. Noribergensis
avisimi,

Patroni sui etatèm
ndi.

s locoq; consuetis
DC. LXXI.

et suscipiet

TOMAS OTTO
DE, Eq. BRAND.



URFFI
ERI, Univ. Typogr.